



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus II. De Calumniatoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

QUÆRES 6. An diffamatus vel convictus de uno crimine, de alio possit interrogari? Respond. Duobus casibus potest. Videl. 1. Si unum crimen præbeat indicium alterius; si convictus de adulterio in loco ubi maritus adulteræ occisus est, commissio, etiam super homicidio poterit examinari & si unum crimen sit circumstantia alterius; si convictus de furto etiam super effractione fori rectè interrogatur.

TITULUS II.

De

Calumniatoribus.

QUÆRES 1. Quam calumniari dicantur? Respond. Ii qui innocentem de crimine falso accusant. Non quemadmodum Reipublicæ interest delicta manifestari & delinquentes in terrorem aliorum debere puniri, sic ejusdem non minus interest infantes falso & calumniose non accusari, cum sit res gravissima famam vitamque hominis concernens.

QUÆRES 2. Quot modis accusatores vel denuntiatores in judicio delinquant? Respond. Eos tribus potissimum modis delinquere, scilicet calumniando, prævaricando, & tergiversando. Calumniari dicitur qui falsa crimina, scienter & dolo malo intendit, prout facere præsumitur, qui in delati criminis probatione deficit. quæ tamen præsumptio non est juris & de jure, ideoque improbatio.

convictione deficiens calumniam purgabit, si probave-
rit se non dolose accusationem instituisse, sed vel
per fraudem testium, vel alio modo sine sua culpa
ad deferendum crimen inductum fuisse; quod si
autem de Calumniâ convictus fuerit, pœnam talio-
nis exsolvet, id est, eandem pœnam subibit, quam
crimen delatum meruit. moribus tamen hodiernis
calumniator non talionis sed arbitrariâ pœnâ puni-
tur. Prævaricantur, qui vera crimina abscondunt,
& celant, vel cum accusato aut denunciato collu-
dunt, veras probationes dissimulando, falsas exce-
ptiones admittendo *l. 1 ff. ad Senatus consult. Tertul.*
& hi quoque pœnam arbitrariam sustinent. *l. 1. § 2.*
ff. de prævaricat. Tergiversantur qui ab accusatio-
ne jam concepta desistunt. *l. 1 ff. ad Senatus cons. Ju-*
risprud. Quod facere non licet; qui fecerint, de
Jure Civili 5. libras auri solvunt, de jure autem
Canonico, pœnæ arbitrariæ subjacent.

TITULUS III.

De

Simoniâ & ne aliquid pro spirituali-
bus exigatur vel promit-
tatur.

QUÆRES 1. Quid sit simonia & quotuplex?
Respond Simonia a Simone Magico qui *Act. 8.*
Spiritus Sanctum pecuniâ comparare vole-
bat, sic dicta, est *studiosa voluntas emendi aut vendendi*
pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali anne-
xum;